

III. OBSERVATIONES ANATOMICAE DE QVIBVSDAM
MORBIS

Omnes sunt celeberrimi ZINNII, sed quas indicasse sufficiat, cum vix concisius excerpti possint, quam ab iplo traditae sunt, nisi obscuro fieri velimus.

LVCVBRATIO AD REGNVM VEGETABILE
SPECTANS.

Ut primo societatis anno coeperat Illustris Praeses, sic iterum aliquot stirpes horti nostri botanici aut novas aut minus notas curiosius descripsit, icone verba subsequente & illustrante. Plurimae ex his Sibiricae sunt. Peloriam, quae Linnaei nomen accepit, non novum genus peloriae esse, curatius inquirens, docet, sed insigni varietati floris deberi, monstrumque potius esse, quod pro novi generis indicio LINNAEVS habuit. Ex quo efficit, in plantis, ut in animalibus, partes non ex staminibus leminis perexiguas evolvi, sed sensim fabricari atque adnasci, ut casui & tanquam errori naturae aliquid mutare, ac novi tanquam monstri gignere liceat.

LVCVBRATIO AD HISTORIAM SVPER-
FICIEI ORBIS NOSTRI TERRARVM
FACIENS.

DE RHINOCEROTVM OSSIBVS IN PRAEFECTVRA HERTZ-
BERGENSI REPERTIS.

Mittebantur a summo praefecto Hertzbergensi, NAN-
NIO, ingentia ossa ex marga effossa. Stupor primum ad

tantae magnitudinis moles, ac quisque de elephantis cogitare: verum alia in his, quae praecipue admirationi erant, crassitiei ad longitudinem ratio, quam in illius belluae reliquiis esse debuisset. Haec ergo ossa celeberrimus HOLLMANNVS diligentissime examinavit, tandemque reperit, multa ex illis rhinocerotum esse, nec vero unius, sed plurium: quinque enim minimum rhinocerotes ibi sepultos esse ex ossibus huc missis constat. Erant in his & aliorum animalium ossa, ut equorum, solito etiam majora, sed in primis miranda tot rhinocerotum in alienissimis terris sepultura videbatur, quae nisi diluvio valde antiquo tribui vix poterat. Ipse collis in quo reperti sunt, ita situs, ut aquarum contra altiores montes irruentium gurgite congestus videri queat. Has quidem antiqui cujusdam orbis reliquias ita mensuris definivit, imaginibusque exprimi curavit, celeberrimus HOLLMANNVS, ita diligenter de illis differuit, ut dubitari nequeat, quin rhinocerotum sint, nihilque lectores desideraturos amplius credamus, nisi id cuius ipse spem ostendit, nempe ut distinctius doceat, qua aquarum vi atque quo fato exules in ignota margina belluae jaceant.

LVCVBRATIONES CLASSIS MATHE- MATICAE

I. DE PARALLAXI LVNAE.

Agnoverunt dudum astronomi omnes, sine perfecta parallaxeos lunaris cognitione nihil in motu lunae definiendo
prae-



INDEX COMMENTATIONVM

TOMI II.

- | | pag. |
|--|------|
| 1) I. M. GESNERI <i>Socrates sanctus paederasta.</i> | 1. |
| 2) - - - <i>corollarium de antiqua honestate asinorum</i> | 32. |
| 3) I. D. MICHAELIS <i>de siclo ante exilium Babylonicum
commentationes duae.</i> | 36. |
| 4) A. VON HALLER <i>de partibus corporis humani sensilibus
& irritabilibus commentationes duae.</i> | 114. |
| 5) T. MAYERI <i>in parallaxin lunae ejusdemque a terra
distantiam inquisitio.</i> | 159. |
| 6) A. G. KAESTNERI <i>continuatio dissertationis de aber-
rationibus lentium ob diversam refrangibilitatem ra-
diorum.</i> | 183. |
| 7) I. A. SEGNERI <i>de parallaxi reticuli astronomici com-
ment.</i> | 200. |
| 8) S. C. HOLLMANNI <i>descriptio ossium insolitae ma-
gnitudinis in praefectura Hertzbergensi e margae erutorum.</i> | 215. |
| 9) - - - <i>altera diss. de eodem argumento.</i> | 242. |
| 10) I. M. GESNERI <i>marmoris Cassellani, quo Aesculapi-
us, Hygea & Telesphorus celebrantur explicatio.</i> | 281. |